



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CUM RHEGINENSIS** SANCTUS PAULUS APOSTOLUS ET
SANCTUS STEPHANUS NICAENUS

PATRONI, UNUS PRINCIPALIS ET ALTER SECUNDARIUS,

RHEGINENSIS DIOCESIS CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Cum Reginensis Ecclesia Sanctum Paulum Apostolum, quasi ex eius adventu, quem Actus Apostolorum testantur (*Act 28, 13*), repetens originem, peculiari et assiduo cultu sit per saecula prosecuta et adhuc prosequatur; cumque Sanctum Stephanum Nicaenum iam ab antiquo simili veneratione coluerit, pia memoria nisa illum ab eodem Apostolo primum sibi Episcopum esse datum: Venerabilis Frater Aurelius Sorrentino, communia cleri et populi excipiens vota, electionem Sancti Pauli Apostoli in principalem apud Deum Patronum archidioecesis Reginensis, et Sancti Stephani Nicaeni, Episcopi primi, in Patronum secundarium eiusdem archidioecesis rite approbavit. Quandoquidem autem idem Venerabilis Frater enixe rogavit ut electio et approbatio huiusmodi ad normam «*Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis*», n. 30, confirmaretur, Nos ex sententia Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, eius precibus annuimus et suprema auctoritate Nostra Apostolica Sanctum Paulum Apostolum archidioecesis Reginensis principalem apud Deum Patronum et Sanctum Stephanum Nicaenum Episcopum eiusdem archidioecesis Patronum secundarium confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Inde profecto fore Nos confidimus ut hoc eximium decus sicut est in Sanctos, quos supra memoravimus, quasi quaedam gratiarum actio pro tutela per temporum decursum civitati Reginensi concessa, ita christifideles inducat non solummodo ad eorum cultum augendum, sed etiam ad eorundem vitae testimonium virtutibus imitandum. Contrariis quibusque non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die VI mensis Martii, anno Domini MCMLXXX, Pontificatus Nostri secundo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana